

Viris excellentissimis et doctissimis
Praesidia, Secretario, Sociisque Columbariis
Georgius Heinricus Pertz
Serenissimi Britann. & Hannoverae Regis etabulariis
S. P. D.

Litteris, quibus albo Vestro nomen meum adscriptum esse in-
tellexi, mihi allatis, maximo sane perfusus sum gaudio, tum quod hono-
rem cum ab iis viris conferri videbam, quorum nomina atque in rem
litterariam merita neminem vel in ceteris terris profectum latere pos-
sunt, tum quod eo auctore, cuius praecelara in historia illustranda,
arte diplomatica & palaeographia promouenda, facinora praedicare
nunquam desinam, tum quod mihi, quem praecipuum almae civitatis
Vestrae cultorem esse, haud ignorare Vos cupio. Nam quam eiat in
rem universam merita semper admiratus essem, et felici postmodum
are ipsam publicorum privatorumque aedificorum dignitate, tabula-
rum, signorum, librorum ornatu, quoque plurimum homines valent,
ingenio et moribus, vere florentissimam praesens conspicerem, tantum
me eius amor et desiderium incessit, ut nihil fere iudicium mihi
obvenire potuerit, quam in doctissimorum eius virorum consortium
recipi. Vobis vero, Excellentissimi Viri, amplissimas quas corde
voceque profiteor grates tum maxime soluturam, Vestroque pro-
posito quantulumcumque affuturam existimari, si historiae
Italiae illustrandae — quantum cetero homini datur — aliquid
conferre possim, et spero fore, ut anno proximo Monumentorum
Germaniae historicorum Tomo II. Jordanis, Pauli Diaconi, Erchem-
perti, Anonymi Salernitani, fortasse et Richardi de S. Germano,
historias ad optimorum codicum fidem integritati pristinae restitutas,
typis edere mihi liceat. Quod ut Vobis non displiceat, sed in rem
quoque Vestram verti posse videatur, summo opere opto.

Valete Viri Illustrissimi, meque nominum et studiorum Vestrorum
cultorem addictissimum habeatis.

Datum Hannoverae a. d. 3. Idus Jul. anno 1825.